



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Quo ordine visitatio instituenda. 2

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

## PARS DECIMA QUARTA.

CAP. I. *De Visitatione ac Synodis Episcopalis Archidiaconalibusque.*

**Q**Uum frustra sint in Civitate leges, nisi & sint qui eas exequantur; itidem institutiones Canonicas inefficaces & languidas esse oporteat, nisi ab Episcopo & reliquis, quibus ea cura demandata est, & quodammodo viva lex sunt, qui & in Evangelio nuncupantur sal terræ, mancipentur effectui: idcirco visitatione per Nostram Diocesim Colonensem opus est, quam Deo auctore per Nostrum in Pontificalibus Vicarium, ac ipsi adjunctos viros juxta pios ac doctos, quibus plenam dabimus in his spiritualibus ac Ecclesiasticis rebus ordinandi potestatem, aggrediemur, eodemque adjuvante Deo peragemus.

Math. 5.

CAP. II. *Quo ordine Visitatio instituenda.*

**E**X superioribus vero liquet plus satis, quo ordine Visitatio instituenda sit. Siquidem imprimis ab Ecclesiis Nostris Metropolitana ac Cathedrali inchoandum: dehinc singulæ Collegiatæ, simul cum Monasteriis & virorum & mulierum, invisendæ: post hæc ad Parochiales Ecclesias omnes, in Nostris Civitatibus ac Diocesibus constitutas, (ubi maxima cura opus erit,) transeundum: ibi non solum Parochi, sed alii etiam (quotquot ibidem commorantur) Sacerdotes ac Clerici advocandi. Atque interim non prætermittendæ Scholæ & Bibliothecæ, ubi illæ reperientur: ac postremo Hospitalia pauperum diligenter perlustranda erunt.

CAP. III. *Quæ ubique corrigere oporteat.*

**Q**Uæ vero oporteat ubique sciscitari ac investigare, quæ corrigere ac repurgare, quæ statuere ac ordinare, superiores constitutiones abundè docent.

CAP. IV. *Inprimis reformandos esse Decanos.*

**Q**Uod ad Cathedrales & Collegiatas Ecclesias attinet, prima cura erit in reformandis Ecclesiarum Prælati, maxime Decanis. Qui si cæci fuerint, consequitur necessarium, ut hi, quibus ducatum præstant, simul in foveam trahantur ac cadant. Quod enim ab illis committitur, facile ab aliis trahitur in exemplum.

CAP. V. *Inquietos, & Prælati rebelles, corripiendos.*

**E**T, quoniam alicubi tanta est Cleri dissolutio, ut Prælati, quantumvis bonis ac eruditis, neque suis honor neque autoritas servetur, intendunt Visitatores Nostrum animum, ut inquieti corripiantur. Qui corripere & obedire nolunt, censura Ecclesiastica secundum culpæ modum percillantur, donec resipuerint.

CAP. VI. *In Monasteriis quomodo abusus percipiendi.*

**I**N Monasteriis facile percipientur abusus, imo Regulæ Ordinis relegantur, interrogenturque qui illis præsent, num illis scilicet simul cum Nostris constitutionibus per omnia satisfiat.

CAP. VII. *In Visitatione Parochiarum quid agendum.*

**V**bi ad Parochias ibitur, debet Parochus ac populo, paucis ante diebus, adventus Visitorum significari, quo tum omnes expediti adsint, ac publicæ saluti intendant, denique ea Sacramenta ac munera, quæ per solum Episcopum administrantur, expurgati & præparati recipiant.

CAP. VIII. *Habenda concio per Visitatores.*

**N**ec videbitur inutile, ut Vicarius Noster in Pontificalibus, seu alius ex Visitoribus Nostris Theologus, concionem ad populum habeat; eundemque de omnibus, de quibus utile videbitur, ex divinis Scripturis per Dei verbum admoneat.

CAP. IX. *Interrogandus Parochus, quo titulo ministerium gerat.*

**I**nterrogandus deinde Parochus, num ipse principalis rector sit, aut Vicarius mercenarius; an ordinaria autoritate admissus, necne. ubi Vicarius præest Parochiæ, videndum quo privilegio absit Parochus principalis.

CAP. X. *De vita, moribus, & doctrina inquirendum.*

**D**einde investigandum de vita, moribus, ac de doctrina; quo pacto verbum Divinum disseminet, ac Sacramenta Ecclesiastica administret; & num omnia calleat quæ ad officium suum spectant. Vbi vero minus fuerit instructus, erudiatur, maxime in his quæ ad dispensationem Ecclesiasticorum Sacramen-